



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. De vera Christi Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

ad eorum Sectam profitendam : nam tunc , qui talibus vestibus ad professionem falsæ Religionis deputatis uteretur , hoc ipso talem Sectam vel Religionem exterius profiteretur , quod est contra præceptum negativum Fidei de non profitenda falsa Religione , neque neganda exterius vera Fide , ut dictum num. 40.

DISTINCTIO III.

De Ecclesia , Libris Canonicis , & Traditionibus.

QUÆSTIO I.

De vera Christi Ecclesia.

1. **N**omine Ecclesiæ, quantum ad propositum, communiter à Doctoribus Catholicis intelligitur certus hominum cœtus, ad veram Dei cognitionem & cultum, veramque Religionis societatem divinitus evocatus. Et Ecclesia sub hac ratione generaliter sumpta, dividitur in *Ecclesiam Triphantem*, quæ Beatos in cælis complectitur: *Purgantem*, quæ continet Animas Purgatorii: & *Militantem*, quæ Fideles in præsentis vite etiamnum cum hostibus humani generis militantes comprehendit. Nihilominus adhuc triplex hæc Ecclesia propter unitatem Capitis sui, quod est Christus Dominus, censetur unica tantum Ecclesia, tres ejusmodi diversas partes in se continens; juxta quod dicitur in Symbolo: *Credo in unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Ecclesia, quid?

Dividitur in Triphantem, Purgantem, & Militantem.]

2. Cæterum in præsentis potissimum sermo est de Ecclesia Militante. Et hæc rursus dupliciter sumitur; primò latè, seu universaliter pro cœtu omnium Fidelium ab initio mundi usque ad finem ejus existentium; quomodo loquitur S. Gregorius Papa Homil. 19. in Evang. *Universalis Ecclesia, ab Abel justo usque ad ultimum Electum, qui in fine mundi nasciturus est.* Deinde, & quidem frequentius, Ecclesia sumitur pro cœtu, seu congregatione omnium Christi Fidem atque doctrinam profitentium, quæ sub uno & summo post Christum Capite & Pastore in terris gubernatur: Et hoc modo sumimus Ecclesiam in proposito: nam Ecclesia Dei, prout erat sub veteri Testamento, seu tempore Legis

Ecclesia Militans sumitur dupliciter.

Synagoga, quæ?

Bb

Mosai-

Mosaicæ, proprio nomine *Synagoga* appellatur; juxta quod ait Breviarium Romanum, *die 8. Maij*, de S. Michaële Archangelo: *Eum ut olim Synagoga Judæorum, sic nunc custodem & patronum Dei veneratur Ecclesia.*

Vera Christi
Ecclesia in
terris est vi-
sibilis.

3. CONCL. I. De fide est, veram Christi Ecclesiam in terris esse visibilem: cujus quidem Caput primarium, sed pro nunc invisibile, est Christus Dominus; post ejus verò discessum Caput visibile totius Ecclesiæ Militantis est Romanus Pontifex, Christi in terris Vicarius. Ita omnes Catholicici; quamvis hæretici hoc visibile Caput Ecclesiæ communiter negent, ac multifariè impugnent, perpetuòque odio prosequantur, cum videant, ab eodem suas hæreses palàm confundi, condemnari, & profligari. Prior pars hujus Conclusionis, videlicet veram Christi Ecclesiam in terris esse visibilem, probatur ex S. Scriptura contra Hæreticos. Et in primis illo Salvatoris Matth. 18. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesia; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Similiter S. Paulus ait, Actòr. cap. 20. *Attendite vobis, & universo regi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.* Et 1. Timoth. 3. inquit idem Apostolus: *Hac tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia DEI vivi.* Atqui nemo potest dicere Ecclesiæ, neque scire, num alter eam audierit; neque etiam potest quis regere Ecclesiam DEI, nisi ea sit visibilis, & sciat, quæ sit illa Ecclesia; ergo.

Solvitur ob-
jectio hære-
ticorum.

4. Nec obstat, quod objiciunt hæretici: Quidquid fide credimus, non est visibile: sed Ecclesiam fide credimus, juxta illud Symboli Apostolici, *Credo in sanctam Ecclesiam Catholicam;* ergo ea non est visibilis. Resp. enim, in primis retorquendo argumentum: nam Christus Joan. 20. dixit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti;* ergo in sano sensu, quod videmus, credere possumus, dum videlicet aliud videmus, & aliud credimus, prout fit in proposito. Resp. itaque secundò, majorem esse veram duntaxat in hoc sensu, quòd sub ea ratione, qua aliquid videtur, id sub fidem non cadat; quamvis benè possit credi sub alia ratione, sub qua non videtur, ut probat exemplum S. Thomæ Apostoli. Sic in proposito Ecclesia est visibilis, in quantum videntur homines eam constituentes, & auditur professio Fidei, ac cernuntur sacræ Cæremoniæ: quòd autem isthæc constituent veram Christi Ecclesiam, hoc non videtur, sed creditur, Deo id multipliciter attestante.

5. Altera

5. Altera pars Conclusionis, quod hujus verae Ecclesiae Caput primarium sit Christus, nemo Christianorum est, qui neget; id siquidem expressissime docet Apostolus ad Ephes. cap. 5. dicens: *Christus est caput Ecclesiae.* Et rursum Ephes. cap. 1. *Et ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius; videlicet Corpus mysticum, cuius ipse est Caput mysticum, & quidem ob suam supremam excellentiam, atque Divinitatem, primarium & principale.* Ultima tandem pars, quae est contra haereticos, probatur ex eo: quia quamvis Christus in caelis existens maneat adhuc Caput Ecclesiae invisibile, quatenus eandem adhuc gubernat, & regit, fovetque per internum influxum gratiarum supernaturalium: non tamen manet Caput visibile Ecclesiae Militantis, utpote quam non amplius per semetipsum gubernat modo visibili (prout olim fecerat in vita sua) cum nec amplius eidem Ecclesiae Militanti sit visibiliter praesens. Unde ne Ecclesia sua visibilis careret Capite visibili, sanctum Petrum, atque eius legitimos Successores, Summos videlicet Pontifices, constituit Caput Ecclesiae visibile, suumque in terris Vicarium, dicens eidem Petro post resurrectionem suam trinam vice, Joan. 20. *Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* Id ipsum patet ex aliis Sacrae Scripturae locis, prout amplius ostendunt Controversitae.

Vera Ecclesia Caput invisibile est Christus,

visibile Summus Pontifex

6. Nec dicas, hinc sequi, quod Ecclesia sit biceps, & consequenter monitrosa. Negatur enim sequela. Quia Christus est Caput Ecclesiae primarium, atque invisibile; S. Petrus vero, eiusque legitimi Successores, sunt Caput Ecclesiae duntaxat secundarium & vicarium, visibile tamen, quod est primario subordinatum. Unde non sequitur, quod Ecclesia sit biceps; sicuti neque Regnum quodcumque temporale censetur biceps, quod in absentia sui Regis gubernatur per Proregem, utpote qui plenè subordinatur Regi, ipsiusque vices duntaxat gerit, ac eius nomine cuncta gubernat.

Nec tamen Ecclesia est biceps.

7. CONCL. II. Vera ac visibilis Ecclesia ex speciali promissione Christi, & assistentia Spiritus sancti, non potest errare in Articulis Fidei, neque omnino deficere. Ita omnes Catholici: quamvis haec Conclusio intelligenda sit non de aliqua parte Ecclesiae (nam certum est, aliquam partem Ecclesiae, id est, nonnullos Christianos, imò & aliquas partes Orbis Christiani errare posse, & re ipsa quandoque errasse) sed de tota & universali Ecclesia. Conclusio sic explicata probatur ex illo Salvatoris, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porte inferi non*

Vera Ecclesia Christi non potest errare in articulis Fidei, neque deficere.

prævalerent adversus eam. Item Matth. 28. promisit Christus Ecclesie perpetuam suam assistentiam, dicens: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Et Joan. cap. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et 1. Timoth. 3. vocatur Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Atqui si Ecclesia universalis in Fide aliquando erraret, aut omnino deficeret, jam prævalerent adversus eam portæ inferi, neque ipsa esset columna & firmamentum veritatis, neque alia dictæ Christi promissiones verificarentur; ergo.

Extra eam
nemo salva-
tur.

8. CONCL. III. Extra veram Christi Ecclesiam nemo potest salvari. Ita certum, estque decisum in Concilio Generali, seu Lateranensi sub Innocentio III. atque refertur *cap. Firmiter, de Summa Trinitate*, ubi dicitur: *Una verò est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Idque SS. Patres passim declarant exemplo Arce Noë, extra quam regnante diluvio nullus hominum mortem evaserat; ac præsertim S. Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam (& habetur *c. Quoniam vetusto, 24. q. 1.*) ubi Cathedram S. Petri, seu Ecclesiam Catholicam Arce Noë comparans, subjungit: *Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.*

quid di-
cendum de
Catechu-
menis?

9. Nec obstat, quòd juxta D. Ambrosium, aliosque Sanctos Patres & Theologos, Catechumeni possint salvari, & multi salventur, qui tamen per Baptismum necdum sunt ingressi Ecclesiam Dei. Resp. enim cum Sannig *Distinct. 3. de Fide, quest. 1. num. 6.* & aliis, allatam Conclusionem esse intelligendam sic, quòd nemo possit salvari extra Ecclesiam, id est, qui nec re, nec voto est in Ecclesia: Catechumeni autem, licet per januam Baptismi actu recepti necdum sint ingressi Ecclesiam, nihilominus voto jam sunt in Ecclesia. Et hoc sufficit ad salutem, non minus, ac Baptismus in voto susceptus; mediante quo, si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi, posse hominem salvari, patet ex Concilio Trident. *Sess. 6. cap. 4.* ac pluribus locis Juris Canonici, & præsertim ex *cap. Veniens, de Presbyt. non baptizato*, ibi: *Cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi.*

QUÆ.